

tissima. Corymbus florum numerosissimus. Calyx imbricatus, 4-5 lin. longus. Cor. flava. Pappus sessilis : Link, l. c.

*Sonchus arboreus*. DC., *Pr.*, 7, p. 189.

HAB. IN insulis Canariensibus (Teneriffa sec. DC. l. c.) sine loci specialis designatione : Broussonet! in herb. Fontanesii et Webbii.

DISTR. GEOGR. Planta merè canariensis, ut videtur rara, tantum à cl. Broussonetio lecta, in hortis nostris prius culta.

DESCR. Planta paucis cognita, à pluribus cum *Soncho leptocephalo* confusa. Cl. viri Berthelot et Webb in : Atlas tab. 6 et 7 eandem plantam, *Sonchum leptocephalum* nempe, bis pingendam curaverunt, stirpem (tab. 6) pinnis paulo latioribus *Prenanth. arboream*, tab. 7 vero pinnis angustissimis *Pren. pinnatam* vocantes. Ex errore etiam in tab. 6, nomine *Sonchi fruticosi*, *Sonchus maderensis*, specimen horti parisiensis vivum, pro *Soncho Jacquini* DC. depictum est. Examine speciminum 3 ab ipsissimo Broussonetio lectorum certissimus, differentias inter hanc speciem et præcedentem paucis describam :

*Sonchus arboreus* omni numero *S. leptocephalo* robustior, speciosior. Rami pedalis pars inferior arboreus, 1/3 poll. diametro adhuc metiens; foliorum pinnae et lamina 1/2-2 1/2 pl. 1 lin. et ultra latae. Rami magis sunt ascendentes; pedicelli crassiores. Involucri 3 lin. alti ovato-cylindracei squamæ exteriores et interiores n. 8 subimbricatæ. Achænia paulo robustiora, ovato-oblonga, robusta, compressa, magis exasperata rugulis transversalibus, nigra; pappus subpersistens, niveus, paulo longior, setis numerosioribus, inæqualibus.

#### EXPLICATIO TAB. 126.

1 et 2. Plantæ partes magnitudine naturali. 3. Folium. 4. Capitulum auctum uti partes sequentes. 5. Achæmium cum pappo et flore. 6. Achæmium cum pappo. 7. Pilus pappi longior. 8. Pilus pappi brevior.

Subgen. IV. *LACTUCOSONCHUS*. C. H. Sch. Bip.

#### 14. *SONCHUS WEBBII*. C. H. SCH. BIP.

*S.* herbaceus, glaber, altissimus; caule tereti, fistuloso, striato, foliato, paniculato-corymboso; foliis inferioribus lyratis, sessilibus, superioribus linearibus; capitulis pedicellatis 12-14-floris; involucro cylindraceo subimbricato; floribus flavis; achæniis glabrescentibus, trisulcatis, brunneis; pappo caduco, niveo, denticulato.

HAB. Palmâ, ad rupes in pinetis : Webb! *Barranco de la Herradura, los Sauces*, 15 Julio 1845 : Bourgeau! Unicum.

DISTR. GEOGR. Stirps merè canariensis, hanc in diem usque tantum in insulâ Palmâ repertus.



DESCR. Species distinctissima habitu quodammodo, monente jam acutissimo Webb, Lactucam murorum C. B. referens.

RADIX ..... verosimiliter perennis, collo forsan lignescente. CAULIS herbaceus, glaber, 2 1/2 pedes et ultra altus, inferne diametro 1/4 poll. metiens, foliatus, ramosus, erectus, amarus, teres, striatus, pallide virens, fistulosus, fistulâ medullæ strato tenui peripherice munitâ, ad foliorum exortum vero diaphragmate medullæ albæ interruptâ, superne panicula corymbosa supradecomposita, palmam vel spithamam diametro metiente terminatus. FOLIA radicalia....; caulina lineâ spirali disposita, conferta, arrecta, 4-7 poll. longa, superne 1-1 1/2 poll. lata, lyrata, lobo terminali maximo, -2 poll. longo, inferne 1-1 1/2 poll. lato, triangulari-lanceolato, acuto, margine + — sinuata et denticulis crebris vix emergentibus, corpusculo albo rotundato terminatis exasperata; lobi laterales pauci, utrinque 2-3, suboppositi, subovati, 1/2-1 poll. longi, 1/3-3/4 poll. lati, basi lata insidentes, margine subsinuati et denticulis jam descriptis instructi, apice acuti; inferne folia, cæterum papyracea, supra viridia, infra glauca et nervosa, in petiolum attenuantur 1 lin. circiter latum, hinc inde lobulis rudimentariis parvis instructum, basi vero dilatatum et insertione 4 lin. latum, semiamplexicaulem et utrinque in dentem parvum linearem extrorso-retrorsum protractum, quare folia sagittatis subaccedunt. Costa folii etiam saltem inferne, valde acuta, infra folii insertionem paulo decurrit, alam formans parvam. Quandoque folia caulina valde elongata, palmaria-spithamea, 4-5 lin. lata, subintegra, margine minute denticulata. RAMI majores in foliorum modo descriptorum axi orientes, 2 pedes et ultra longi, inferne longitudine 2-3/4 ped. foliati, simili modo uti caulis primarius, sed folia sunt angustiora, relative valde elongata, inferiora 4-5 poll. longa, pinnatipartita, pinnis lanceolato-linearibus, acutis, suboppositis, integris, vel ad marginem superiorem dente vel lobulo notatis; folia suprema tandem in quorum axi rami superiores oriuntur sunt angustissime linearia, 6-2 poll. longa, 1-1/2 lin. lata, integerrima vel inferiora basin versus subpinnatipartita, pinnis paucis, suboppositis, lineari-lanceolatis, omnia pariter semiamplexicaulia, utrinque in dentes parvos protracta et hinc subdecurrentia. Rami superiores 2-5 poll. longi, efoliati, juncei, flexiles, ad medium in paniculam corymbosam abeuntes, dichotomam. Capitula 12-14-flora, semper erecta, pedicellis insidentia 2-5 lin. longis, in axi squamula linearis, 1-1/2 lin. longæ orientia, robustis, subclavatis, superne pl. squamulâ, modo descriptis simili, arrectâ, munitis. INVOLUCRUM cylindræo-campanulatum, subimbricatum, biseriale, 3 1/2-4 lin. altum, foliolis omnibus adpressis, demum reflexis, internis n. 8, æquilongis, anguste lineari-lanceolatis, ultra 3 lin. longis, 1/2 lin. latis, pallide virentibus, dorso linea prominente obscuriore notatis, tenuibus, marginem scariosum versus pallidioribus, externis n. 5 ovato-lanceolato-linearibus, obtusis, 1/2-1 1/2 lin. longis. RECEPTACULUM planum, albens, vix 2/3 lin. diametro metiens, nudum, areolarum margine vix elevato. Flores aurei, externi 4 1/2-5 lin. longi, lingulati, hermaphroditi, tubo pallido, ad os pilis articulatis simplicibus, patentibus munito duplò breviorè ligulâ, 2/3 lin. latâ, 5-dentatâ, dentibus ovato-oblongis, obtusis. Antheræ 1 1/2 lin. longæ, pallidæ, appendice oblongo-lanceolatâ, obtusâ coronatæ, basi dentibus duabus linearibus integris munitæ. Styli rami exserti, filiformes, breve hirti, demum arcuate reflexi. ACHÆNIA fere 1 lin. longa, obovata, basin versus attenuata, compressa, superne 1/2 lin. lata, utrinque lineis 3 impressis (sulcis) notata longitudinalibus, unâ medium tenente, et duabus lateralibus marginem inter et medium positis, basi ipsâ prominentiis 4 notata,



glabrescentia, dilutè brunnea, pl. pauca tantum fertilia, reliqua effœta, albertia. Nectarium conspicuum, albens. PAPPUS caducissimus, 2 1/4 lin. longus, niveus, 1-serialis, setis paulo complanatis, denticulatis, subæqualibus et hinc à Sonchis reliquis paulo diversis.

## EXPLICATIO TAB. 136.

1. Panicula florida. 2 et 3. Folia caulina. 4. Flos. 5. Stamen. 6. Styli pars superior. 7. Achæmium cum pappo caduco. 8. Pappus. 9. Achæni apex ex alto visus ut appareat nectarium. 10. Achæni sectio transversalis.

Subgen. V. *EUSONCHUS*. C. H. Sch. Bip. MS.

15. *SONCHUS BOURGEAUI*. C. H. SCH. BIP.

S. annuus; caule dichotome ramoso, foliato, glabro cum foliis confertis, runcinato-pinnatifidis, dentato-spinulosis, costâ folii acute prominente in caule alâ acutâ pellucidâ (simili modo ut in *S. palustri*) decurrente; involucro basi tomentoso, campanulato, cum petioli parte superiore pilis glanduliferis dense obsito; floribus aureo-aurantiacis, speciosis, involucri dimidia parte superantibus; achæniis compressis, robustis, obovatis, inferne attenuatis, brunneis, transverse valde rugoso-granulatis; pappo niveo, persistente, pluri-seriali.

HAB. *Fuertaventura*, n. 9, sine loco speciali, et in lava vulcani *Oliva*, die 19 Febr. 1846, n. 12: Bourgeau! et *Lancerotte* in *Baranguillo* supra pagum de *Mala Die*, 2 Febr. 1845: Bourgeau! n. 7.

DISTRIB. GEOGR. Herba merè canariensis.

DESCR. PRIMA fronte affinis *S. lævi* Camer., sed floribus speciosis obscure aureo-aurantiaceis statim distincta. RADIX annua. CAULIS spithameus, — 5/4-pedalis, infernè 5/4-2 1/2 lin. diametro metiens, teres, sed foliorum costa, in alas 1/2-fere 1 lin. latas decurrente acutangulus, viridis, pl. vero + — purpurascens, inferne densè foliatus. FOLIA 2-4 poll. longa, superne 1-3 poll. diametro metientia, oblongo-obverse-lanceolata, runcinato-pinnatifida, pinnis utrinque 3-4, triangulari-oblongo-lanceolatis, retrorsis, cum lobo terminali triangulari-lanceolato acutis, inæqualibus et conferte spinuloso-dentatis, in petiolum decurrenti-alam, basin versus dilatatum, utrinque in lobos hemisphærico-trianguulares, extus convexos, intus rectos, spinulosos, acutos protractos et hinc *sagittata*, cæterum papyracea, glabra, infra glabrescentia, sæpius præsertim costa purpurascens; folia inferiora longius petiolata, basi paulo protracta, costaque minus prominente munita, media maxima, costaque valde prominente et lobis basilaribus magis instructa. Ad medium caulis dichotome ramificatur. RAMI in axi foliorum caulinarum orientes sed minorum, inferiorum pinnatifidorum, superiorum integrorum, lineari-lanceolatorum, omnium setoso-denticulorum, basi dilatatorum et in lobos magnos sagittæ-





Floras del

*Lonchus Webbii* Sch. Bip.